

minium transferri, & actionem revocatoriam non impedire dominii translationem: ideo Doctores quoque, qui revocatoriæ actioni locum esse ajunt, non propterea negant, per traditionem in posteriorem emtorem dominium esse translatum. Quia tamen inter ejusmodi venditorem & debitorem in fraudem creditorum alienantem, differentia dilucide apparet, non revocatoriam directam, sed ex æquitate utilem contra emtorem, qui alii rem venditam esse scivit, concedunt, adeoque in ipso & venditore dolus concurrit, quoniam hic proprium factum ignorare non potuit. Et quidem juxta eorum sententiam, quod venditor præcise rem tradere teneatur, quanto gravius & fortius adstrictus est venditor emtori primo, tanto gravior est dolus si eam rem alteri vendat. Obstare quidem videtur, quod in L. 15. *Cod. de rei vind.* duobus in solidum prædium jure distrahatur, adeoque revocatoria actio non competit. Verum quia venditor dominus manet, summo jure tradendo rem, secundum emtorem dominum facit. Sed quatenus rumpit fidem, & improbe facit, crimenque stellionatus, imo falsi committit, utique nec juste, nec jure rem alteri vendidisse videri potest, L. qui duobus 21. ff. ad Leg. Carn. de falsi.

D,

Nihil